

3d



DISPUTATIO IV.

Centuriae tertiae

QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM
PHILOSOPHI-
CARVM

In Inclytâ VVittebergensi Academia
Proposita:

PRAESIDE

M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.

RESPONDENTE

IOANNE STRAVCHIO
VVitebergensi.

Ad 6. Id. Octobr. hor. à 6. matutinis in Auditorio Col-
legii veteris.

VVITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellvigiū Bibliop. Anno 1607.





Amplissimo
VVITEBERGENSIUM
REIP. SENATVI.

COSS⁹. GRAVISS:
IUDICIB⁹. PRUDENTISS:
& ceteris
SENATORIB⁹. LAUDATISS:

Promotoribus & Fautoribus
Observandis, honorandis

*Hoc exercitiis
libens*

Do, dieoque.

Accipe, flos urbis patriæ, veneranda SENATVS
Turba horæa: tibi quæ mea *Musa* litat.

Parva quidem, è primis: & quæ spectarier amplâ

*A*re non poterunt. Namq̄ alia haut valeo.

Ergo ea spernendum est? Non semper parva merentur

Despectum. His etiam gratia inesse solet.

Tu modo, sume libens, amplissimus ordo SENATUS

Parva (volo hoc unum) quæ tibi libo libens.

Vera horæa dabo, cum matura verit *Horus*

Hanc segetem, tenerum quam modò semen alit.

Ioannes Strauchius. A.

QVÆSTIO I.

An bene quidam τῶ ἐντα, seu Posita per concessa, in definitione syllogismi, interpretentur?

Definitur † divinus Præceptor (sic enim passim in ^{1.} exercitationibus ad Cardanum Scaliger Aristotelem vocat) instrumentum illud veritatis, Syllogismum lib. 1. pr. analyt. c. 1. 1. Top. c. 1. 1. Soph. elench. c. 1. Rhetor. ad Theod. c. 2. hunc in modum. ὁ συλλογισμὸς ἐστὶ λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κεμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τῶ ταῦτα εἶναι. Definitionem hanc Boetius lib. 2. de Syllog. categ. ca. 7. Petrus Hisp. S. tr. 4. c. 2 Thom. de Aquino opusc. 47. cap. 1. Armandus de Bello Visu tractat. 2. cap. 300. Agellius in noct. Attic. lib. 15. cap. 26. perficere conantur ealem exstruentes. Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis (Agellius consensit) & concessis, aliud accidit, propter ea, quæ posita sunt & concessa. A quorum partibus etiam stant, Javellus tract. 6. Log. de Syllog. form. cap. 1. dum istos auctores magis definitionem explicare dicit, & Alexander Aphrodisæus, Averroes quoque in comment. ad cap. 1. lib. 1. pr. analyt. & hos qui sequuntur. Mart. Capella in Dialect. Fonseca lib. 6. instit. dialect. cap. 8. Flacius lib. 5. Log. gener. cap. 2. qui τῶ ἐντα, per concessa, exponunt. Concessis enim inquirunt duabus propositionibus infertur conclusio. Imo 1. Top. 8. requirit Aristoteles in præmissis aut veritatem, aut concessionem adversarii.

Verum † nos potius cum Tatarcto lib. 1. pr. analyt. quæst. 1. 2. p. 50. Cursu philosophico Acad. Francof. lib. 1. pr. quæstion. 2. Crellio lib. 3. part. comm. cap. 2. Regio disputat. Log. libr. 4. problem. 4. p. 14 2. & aliis τῶ ἐντα per pene disposita: idque tam de terminis, quam de præmissis; non vero per concessa exponenda censemus. Suadent rationes sequentes. I. Ipsa verba Aristotelis. Tribus siquidem utitur verbis in definitione Syllogismi, sententiæ nostræ



stra valde accommodis, τὸ τίτεσθαι, τὸ κῆσθαι, καὶ τὸ ἰτεσθαι. Pri-
imum quod attinet. quamvis haud negatū eamus: Aristotelem nonnun-
quam, in Topicis praesertim, pro concedi uti. In prioribus tamen ana-
lyticis aliter, pro poni videlicet usurpat. Id quod manifestè apparet
è cap. 14. 37. &c. lib. 1. pr. analyt. in quibus hoc vocabulum ali-
quocies repetitur, sed nunquam in illa significatione, verum semper in
haec. Posteriora vero duo, praesertim vero ultimum nemo, nisi qui
λεθησίων ἀμφοτέρων ne tria quidem Stesichori sciat, per concedi ex-
ponet. II. Quia Syllogismus hic in prioribus analyt. ἀφαιρετι-
κῶς, & omnis materiae alienus, seu tantum modus Syllogizandi & ra-
tiocinandi pertractatur. Quod in numeris probatum dari possit argu-
mentis; Et ad oculum patet è definitione propositionum (è quibus
exstruitur syllogismus) quae nullo penitus ad materiam habito respectu
lib. 1. pr. cap. 1. considerantur. Patet ex exemplis (ut Ramei le-
quuntur) alphabetariis, quibus per utrumque horum librorum sem-
per utitur Aristoteles. Et probat pluribus Zabarella lib. 2. de Natur.
Log. cap. 7. & 8. & lib. 3. de Meth. cap. 3. Syllogismus vero certa
materiae, eidemque Topicae, applicatus talis est, ut ἐξ ὁμολογημένων
δέσεων καὶ προτάσεων, uti habet Philosophus lib. 2. pr. analyt. c. 14.
seu, concessis & rogatis procedat positionibus 1. Top. 1. III. Concedi-
tur aliquid ut Verum. At verum & falsum solam respiciunt materi-
am. lib. de interpretat. cap. 1. IV. Vocabulum hoc τεθέντων tam
de terminis, quam de propositionibus accipiendum est. Termini vero
neque conceduntur neque negantur: cum simplices sint. Quapropter
haec per concessa interpretatio hic penitus nullum poterit habere locum.
 3. *Ad objectiones † superius allatas patet responsio ex dictis. Prior*
enim falsa est. Posterior quoad materiam topicam vera.

QVAESTIO II.

An conclusio sit pars essentialis Syllogismi?

1. *Atque † hic quidem in negativam abit partem cum pluribus Pa-*
ciis in gloss: marg. & com. ad c. 1. l. 1. pr. analyt. §. 8. 1. Syllogismus
enim est oratio probans; conclusio vero probatur. 2. Conclusio est diversa ab
sa ab



sa ab his, quae in syllogismo posita sunt. 3. Aristoteles lib. 2. pr. an. cap. 4. ait Fieri potest ut conclusio sit vera, quamvis nihil eorum, quae in Syllogismo posita sunt, verum sit. Cujus sententiae quoque quidam participem faciunt Averroem, quoniam in comment. ad cap. 1. l. 1. pr. an. ait. Omnis syllogismus componitur ex duabus propositionibus, non pluribus neque paucioribus.

Verum † nos cum Aristotele, & interpretibus sanioribus 2. ad unum omnibus in affirmativam descendimus partem ob rationes sequent. I. Quicquid ingreditur definitionem essentielle ei sit necessarium est. Hoc n. Aristoteles in Topicis aliquoties asserit. Atqui conclusio ingreditur definitionem Syllogismi E. erit eidem essentialis. II. Cuicunque competit definitio, eidem etiam definitum. Atqui propositionis (quam partem Syllogismi essentialem esse nemo inficiabit.) definitio (quae habetur apud Aristotelem lib. 1. pr. cap. 1. λόγος καὶ ἀποφαικός ἢ ἀποφαικός, τὸ δὲ καὶ ἀπὸ τῆς) etiam conclusioni adaptari potest. Ergo. III. Syllogismus significat collectionem conclusionis factam vi rationis cogentis, dicitur enim, uti habet Zabarell. in comment. in lib. 1. poster. analyt. ad cap. 1. §. 4. p. 640. quasi συλλογισμὸς ἢ λόγος collectio rationis. Ratio autem colligi dicitur, quando conclusio infertur. Unde à conclusione dictus est syllogismus. IV. Huius aliud è Zabarella eodem in loco p. 641. infertur: dicit enim: conclusionem esse formam syllogismi. Denominat enim totum syllogismum. An sit affirmativus vel negativus. Imo hac absente syllogismus in certo modo constructus non est. uti falso quidam aliàs in hac controversia nobiscum facientes statuunt. Sit enim dicis gratia. Omne animal vivit. Omnis homo est animal. In nulla adhuc certa est figura: nisi addatur. Ergo omnis homo vivit. Potuisset enim idem in Baralipron conclusione per accidens conversa extrui. Ergo quoddam vivens est homo.

In sumum † proinde abicit objectio Monlorii in 1. pr. cap. 26. 3. Si conclusio est forma syllogismi, non potest unius syllogismi duplex esse conclusio, neque unius conclusionis duplex syllogismus. Non enim vocamus syllogismum, nisi κατὰ χεῖρας, quando abest conclusio. Imo hac illius nomine sapissime apud Aristotelem venire solet. ut lib. 1. pr. analyt. cap. 4. 1. post. cap. 1. §. 4. 1. de an. §. 48. & vice versa conclusio pro Syllogismo posita videtur. 1. pr. cap. 7. & 11.

A 3

Pro

4^o Pro obiectiōum & oppositarum solutiōe notandum: Syllogis-
mum dupliciter accipi (quod quoque annotare videtur Regius lib.
4. disp. log. probl. 5. p. 154. & Hippius probl. log. 28. in resol:
probl) I. pro mediū cum extremis dispositiōe, atq; sic 1. pr. anal. capp.
22. 25. & aliis in locis accipitur. Deinde v. propriē pro toto discursu, &
illatiōe Syllogistica. Atque de hac posteriore acceptiōe in presen-
tium loquimur.

5. Vnā & ergo fideiā duo priora Pacii obiecta dealbamus. Est
enim conclusio aliud quid à præmissis, non ratione materiae, sed ratio-
ne formæ, seu non consequentis, sed consequentiæ, uti rectissime expo-
nunt Iavellus in log. tracta. 6. cap. 1. Tataretus ad cap. 1. 1. pr. & in-
terpretes quamplurimi: quoniam res non accipiuntur in ostensiōe
sui ipsius. Averroes in comm. ad c. 1. pr. anal. sicque istæ probant,
hec v. probatur. Hinc Syllogismus non est oratio probans sed præmissæ
sunt tales orationes. Tertium v. quod attinet, distinguendum dici-
mus inter materiam & formam Syllogismi. De materia enim ve-
rum est, & de hac quoq; tantum protulit Aristoteles, non vero de for-
mæ. Averroem quod attinet quando cum Philosopho optimo maximo
lib. 1. pr. analyt; cap. 25. & alibi dicit. Syllogismum tantum duabus
constare propositionibus; per eas præmissas intelligit, quarum in
omni Syllogismo perfectio tantum duæ esse debent. Alias haut occultè
Averroes in hac controversia in comment. ad cap. 1. pr. an se nobis-
cum sentire innuit.

QVÆSTIO III.

An media contrariōrum componantur
ex extremis?

Non loquimur hic de contrariis in latâ significatione: in qua se
etiam ad privativæ & contradictoriæ opposita extendunt. Inter hæc enim
nulla penitus datur compositio, cum toto genere differant: & alterum
sit Ens, alterum vero non-ens. Aristoteles in post. præd. c. 1. Sed de
propriè dictis contrariis, seu ad-versis, quæ definiuntur ab Arist. 10. Met.
Quacunq; sub eodem genere posita maximè distant & ab eodem subiecto
se mutuo expellunt. Horum contrariōrum media an ex extremis compo-
nantur, queritur?

Vbi

Vbi notandum † 1. quod duplex inter hæc constituatur medium 2.
apud Zabarell. in comm. in lib. 1. post. analyt. ad cap. 2. §. 13. &
Bellosi: tr. 2. cap. 216. Medium materia, seu subjecti, aliàs per ex-
tremorum negationem dictum: & Medium sui generis, aliàs per partici-
pationem eorundem dictum. Non querimus de priore medio sed de po-
steriore. Deinde, quod Paulus Sonzinas lib. 10. Metaph. quæst. 21.
in resp. conclus. triplicem huius questionis faciat sensum: qui tamen
ad duplicem revocatur à Versore lib. 10. Metaph. q. 8. in resp. ad q. 4.
Vel enim potest intelligi de compositione formali & actuali: vel de me-
dio secundum potentiam & virtutem, quod continet gradus remissos
extremorum.

Hanc † questionem Javellus lib. 10. Metaph. quæst. 17. 3.
neutræ: seu cuius utraq; pars & utraq; sensus defendi possit, iudicat,
Quapropter quoq; ab eodem in epitom: in secund. de Gener. & in-
ter: Arist. tract. 2. cap. 3. posterior defenditur. Cum quo faciunt Gre-
gorius in 1. sentent: distin. 17. quæst. 31. art. 2. Paulus Sonzinas
loco supra dicto 10. Metaph. quæst. 21. & 22. Ab horum partibus
etiam stare videntur Antonius Andrea 10. Metaph. quæst. 5. &
Doctor subtilis secund. distinct. 16. a. 4. quæst. unica (uti le-
gitur apud Scaligerum exerc. 16. sect. 3.)

Nobis † tamen etiam prior questionis à Sonzinate & Versore 4.
propositus sensus cum Javello lib. 10. Metaph. quæst. 13. & 17. (li-
cet posteriorem tantum defenderat in 1. de Gener:) Averroë incom.
in post. præd. Arist. ad c. de oppos. diff. 3. 1. Phys. comm. 56. &
10. Metaph. comm. 23. Joanne Versore lib. 10. Metaph. quæst.
8. Zabarell. in comm. in lib. 1. post. analyt. ad c. 2. §. 13. p. 610.
arridet ob rationes sequentes. I. Quodcumq; comparatum ad
duo extrema, respectu unius se habet ut magis, respectu alterius ut mi-
nus, componitur realiter & formaliter ex illis: Nam magis & minus
inesse præsupponunt ipsum esse. Atqui medium ita se habet, ut respectu
alterius extremi magis, respectu alterius minus esse videatur. ut tepi-
dum est magis frigidum & minus calidum. E. II. Hinc quando con-
trarium in contrarium mutatur, prius mutatur in medium: quoniam
Medium magis accedit ad naturam unius extremi, quam alterius: ex
illo medio postmodum idem transfiguratur in contrarium. Quod fieri
non posset, nisi formaliter medium ex extremis constaret. III. In
quolibet genere prima & simplicia sunt compositiva aliorum eiusdem
generis.

generis, quæ comparantur ad illa ut composita & posteriora. Atqui extrema se habent ad media ut simplicia & priora ad composita & posteriora, sicuti idem apparet in comparatione tepidi ad calidum & frigidum. Quia ergo simplicia sunt, principia erunt, sed non principia nisi mediorum. IV. Imo si potentia virtutes & propria semper insequuntur ipsas formas, & illa nusquam absque his sint: quis non videt ex ipsa contraria opinione, dum videlicet virtutes & propria contrariorum in mediis esse ajunt, nostram astrui? Et quid multa? ὁμόψυχον habemus ipsum humanæ sapientiæ parentem (Scaligeri exerc. 211. l. 1. verba sunt) qui 10. primæ Philosophiæ (sic enim antiquitus libros μετὰ τὰ φυσικὰ insignitos fuisse refert Cælius Rhodig. lib. 7. c. 30. & lib. 25. cap. 12.) cap. 7. ubi per totum caput hanc sententiam probat, & tandem concludit. ὅτι μὲν ἐν τὰ μετὰξὺ, ἔντε τὰυτῶ γενεῖ πάντα, ἢ μετὰξὺ ἐναντίων, ἢ σύγκριται ἐκ τῶν ἐναντίων ὅπαντα, δὴλον.

5. Sed † obijciunt Gregorius & Sonzinas. I. Tertia species non potest constitui ex duabus naturis specie distinctis. Sed medius color & extremi sunt specie distincti: E. non poterunt in una natura vel subjecto convenire. II. Formæ contrariæ non possunt concurrere in eadem natura. Atqui hac ratione concurrerent Ergo. III. Anthonius & Andrea tali pugnat argumento. Omne compositum compositione partiali, vel est quantitas, vel habens quantitatem. Atqui formæ mediæ non sunt ejusmodi. Ergo. Verum respondemus ad priorum objectionum utramque cum laudibus: Vtrobique in Maggiore committi ἔλεγχον παρὰ τὸ πῆ ἢ ἀπὸ λῶς. Species enim istæ possunt dupliciter considerari: vel cum præcisione, vel absque præcisione. Cum præcisione sunt species à medio distinctæ, oppositæ & disparatæ, & hac ratione non componunt medium. Sumptæ autem sine præcisione sunt ut materia, è qua componitur medium, & non ut species contradistinctæ. Quod v. in altera objectione Sonzinas non fieri posse judicat ut: in uno subjecto concurrant duo contraria etiam in gradibus remissis, eum quo quoque facere videtur Durandus de Sancto Portiano in præfat. in Mag. Sent. quæ. 2. dist. 19. (licet hic aliquo modo excusari possit) falsum omnino est. Vti pluribus probant Capreolus in 1. sentent. distinct. 17. quæ. 2. Javellus lib. 10. Met. quæ. 13. Soarius disp. Metaph. 45. sect. 4. dist. 3. Marsilius 2. de Gener. quæst. 6. Et ipse quoque Aristoteles hujus sententiæ patronus, imo auctor exstat, Dum 5. phys. acroam. §. 19. in hæc verba scribit: τὸ μετὰξὺ ἢ ἕπιόν ἐστὶ, τῶ πλείον

πλεον ἢ ἐλαττον τῶ ἐναντίῳ ἐν ὑπαρχεῖν, ἢ μὴ. & ejusdem libri §. 45.
τὸ ὑπὸν μίξις αἰ τῶ ἐναντίῳ. Aqua calefit ab igne; formalem ergo ca-
lorem in se recipit: & tamen non statim amittit totam frigiditatem.

Instas † Quot formæ, tot denominationes. Atqui plures 6.
hic formæ. E. plures hic denominationes. Bellam v. atque adeo circin-
matulum argumentum. Distinguere siquidem debebas inter contraria
ante constitutionem mediæ & post eandem. Illic sunt formæ diversæ &
diversas dant denominationes: post constitutionem v. minime. Prope
enim jam medium est, corrumpuntur ipsa contraria secundum substan-
tiam, & generatur quoddam unius speciei, & una forma simplex. Ex-
emplum accipe. In mistione formas elementorum misceri & concurrere
hæc inficias ibis? Afferit manifestè & apertè Aristoteles l. 2. de part.
anim. cap. 1. ad quem locum vide Zabarellam l. de Mistione cap. 9.
Testatur idem Aristoteles l. 1. de Gener. & corr. §. 48. 49. 84. 89.
& aliis in locis. Anne v. suam retinet in mistione singula elementa for-
mam. Realitas quidem formarum elementarium retinetur, verum non
earundem formalitas. Sed formæ illæ elementares ad unam aliquam spe-
cie à se distinctam formam reducuntur. Sicuti pluribus probant Aver-
roes comment. 67. l. 3. de cælo. Zabarella. lib. de Mistione cap.
3. 7. 8. 9. &c. Soarius disp. Met. 15. §. 01. Ad Antonii Andreae argumen-
tum respondemus etiam ad Maiorem. distinguendo inter compositionem
essentialem & quantitativam. In hac requiruntur ut partes sint per se
quantæ. Qualitates v. contrariæ non sunt per se quantæ, quoniam se ha-
bent ut actus ad potentiam. Quapropter illa compositio convenientius
diceretur essentialis. Vti habet Iacvellus loco supra dicto.

QVÆSTIO IV.

An contrarietas sit differentia secundum
species?

Afferimus cum veritatis præceptore Aristotele 10. Meta. c. 10.
& interpretibus ad unum omnibus. Nam. 1. Omnis divisio generis fit
per opposita πάντα γὰρ διαίρεται τοῖς ἀντικειμένοις. Sed genus divi-
dendia non possunt esse contradictoria: quia hæc non sunt in eodem ge-
nere: quoniam alterum contradictorium, negatio videlicet, est Non
B ens

ens sicque sub nullo continetur genere. Eodem modo negatur de privative oppositis: & privatio enim est Non ens. Neque per relative opposita dividi possunt: quoniam species ^{duo} singulæ non de se invicem relative dicuntur. E. remanet sola contrarietas. I I. Diverse species sunt quæ continentur sub eodem genere & ab invicem differunt 10. Metaph. Sed hoc non convenit nisi contrariis. E. diversa specie sunt contraria.

2. Sed † posset quis ex sententia opposita objicere. 1. Ipsum Aristotelem cap. de oppos. & lib. 10. metaph. dicentem, contrarietatem interdum versari inter genera: ut inter corruptibile & incorruptibile.
2. Masculinum & femininum esse contraria, & tamen non differre secundum speciem.
3. substantias non recipere contraria. Arist. in cat. c. de subst. Species vero inter substantias referrî. E.

Verum † priusquam ad objectionum harum solutionem progrediamur, quedam præmittenda veniunt. I. Quod habet Thomas lib. 5. phys. §. 10. Sonzinas lib. 10. Metaph. quæst. 24. concl. 2. Iavellus lib. 10. Metaph. quæst. 18. part. 1. tangit quoque Fonseca lib. 5. Metaph. c. 8. quæst. 4. l. 2. Contrarietas est duplex: Perfecta & imperfecta. Perfecta est maxima distantia formarum eiusdem generis, inter quas est continua transmutatio. Imperfecta est oppositio formarum eiusdem generis proximi sub eo maxime distantium, à quarum una non devenitur ad aliam per continuam transmutationem. II. Quod idem habet Sonzinas esse contrarietatem istam intelligendam de differentiis & non de formis, à quibus sumuntur differentiæ: neque de speciebus constitutis per differentiam. Species enim & earum formæ, proprie loquendo, non sunt contrariæ, sed disparatæ: includunt tamen oppositionem contrariam, in quantum constituuntur differentiis contrariis. Hinc Averroës 10. Metaph. comment. 27 Differentiæ, quibus dividitur genus sunt contraria. III. Quod habetur in cursu philosophico Academiæ Francofurtana 10. Metaph. quæst. 7. licet non semper in hisce speciebus detur contrarietas; potest tamen potius ad hanc, quam ad aliam oppositionis speciem reduci: Sicque hanc non semper intelligendam de formali contrarietate, sed de reductione. IV. Distinguendum est inter ipsa contraria, & inter ea, quibus inhaerent contraria. Sic Album & Nigrum quidem differunt specie & sunt contraria; homo interim albus, & homo niger non differunt specie.

Iam

Iam t ergo respondebimus ad objecta. Ad primum dicimus cum
 Thoma opusc. 42. cap. 6. & 7. Suarez. disp. 35. s. 3. distinct. 37. A-
 lenfi 10. Metaph. §. 26. Iavello 10. Metaph. quaest. 21. Versore
 eodem libro, quaest. 10. Antonio Andreae &c. distinguendum esse
 inter genus physicum (cuius mentio etiam sit apud Aristotelem 6. Met.
 cap. 2. §. 2. E. Metaph. §. 33. & al.) & Logicum Physicum sumitur pro
 materia siue subiecto receptivo, sic enim isti loquuntur, formarum na-
 turalium: ita ut quaecumq; possunt ad in-vicem transmutari conveni-
 ant in genere physico. Logicum sumitur pro eo, quod praedicatur de pluri-
 bus differentibus specie in quid. Atq; hinc Fonseca lib. 5. Metaph. c.
 8. quaest. 14. sect. 2. in hac ipsa quaestione distinguit inter genus praedica-
 bile, & genus subiectum, sensu prorsus eodem) Corruptibile & incor-
 ruptibile differunt genere Physico: quoniam non habent communem ma-
 teriam, secundum quam possent ad in-vicem transmutari: non autem
 genere Logico: quoniam conveniunt in praedicabili eodem. Id quod sta-
 tuimus contra Landunum lib. 10. Metaph. quaest. ult. Ad secundum
 respondemus. Contraria vel insequuntur formas, & differentias sub-
 stantiales: & quia species est a forma, seu differentia, ideo haec contra-
 ria faciunt diversitatem secundum speciem, ut rationale, irrationale.
 Alia insequuntur materiam, & proprietates individui, seu, quae su-
 muntur ex diversa dispositione materiae, & formis accidentalibus, &
 haec non faciunt differre specie. Deinde quoque refert Sonzinas,
 quaest. supra dicta in resp. ad 3. Masculinum & Foemininum possunt
 dupliciter comparari. I. ad genus quod dividunt: & hoc modo diffe-
 runt specie: dividunt enim sexum. Alio modo conferuntur ad id, in quo
 sunt: puta ad hominem, equum &c. & sic haec faciunt distinctionem
 specificam. Ad tertium, philosophus intelligit contrarietatem perfectam,
 non imperfectam. Hanc enim & ipse in 2. de Gener. §. 49. concedit
 γὰρ ἀέρι. ὅδ' ὡς δ' ἐπὶ ἐναντίον ἐστὶν, ὡς ἐνδέχεται οὐσίαν οὐσίᾳ ἐναντίαν
 εἶναι. Deinde philosophus loquitur de his quae sunt κατὰ βάθος & in pra-
 edicamento substantiae: non vero de iis quae κατὰ τὸ πλάτος & late-
 raliter tantum sunt differentia.

QVAESTIO V.

An Motus tantum in tribus categoriis
per se sit?

B 2

Motus



1. *Motus per se generaliter acceptus est in nullâ categoriâ, cum
 sit ἐντελέχεια τῶ δυνάμει ὄντι, ἢ τοῖστος. 3. phys. §. 6, siue jam
 de forma fluente iuxta Albertum ad lib. 3. Phys. Arist. siue de subje-
 cto iuxta Thomam de Aquino eodem libro explicetur; manet tamen
 esse transitum successivum de quodam in quoddam uti habetur in Al-
 bertocenton. ad lib. 5. Phys. cap. 1. p. 64. Sicque de genere en-
 tium completorum, quæ categoriis primario includuntur, non erit.
 Potest tamen etiam Motus considerari tantum ratione fluxus qui ab
 ipsa forma mobili abstrahi potest absq; connotato termino, atque sic
 ab Aristot. l. 3. phys. acro. ad prædicamentum passionis refertur, &
 quidē eo rectè relatū fuisse acutè contra Avicennam disputat Averro-
 es 5. phys. §. 9. Soarius quoque disput. 49. Metaph. l. 2 & alii.
 Prout tamen Motus designat collectionem termini & fluxus per redu-
 ctionem, (uti habet Bellovifius tract. 2. cap. 255. & Lambertus de
 Monte l. 3. phys. ad §. 4. quæst. 4.) in diversis est prædicamentis, &
 multa genera circumit, uti loquitur Sonzinas lib. 4. Metaph. q. 16.
 Est siquidem in eodem genere cum suo termino. Terminus vero Motus
 in tribus tantum est Categoriiis. Vel enim acquiritur Quantitas: Unde
 Augmentatio & Diminutio: vel Qualitas, unde Alteratio: vel ubi
 unde Motus localis.*

2. *Id quod ita probatum damus. Duplex requiritur ad Motum ter-
 minandum conditio 1. Ut adsit contrarium, quod semper præ existat
 in re illa, quæ motum subit: ut scil. forma illa fluens fluat ab ipso tanquā
 termino à quo, & feratur ad alterum contrarium, tanquam terminum
 ad quem Arist. 5. Phys. §. 10. 2. Ut id quod motum terminat, seu ter-
 minus per motum acquirendus mobili non sine insigni aliqua mutatio-
 ne, quæ propriè & verè actio & passio dicatur, insit. Atque hæc due
 conditiones tantum in tribus deprehenduntur categoriis, videlicet
 Quantitate, Qualitate, & Vbi Harum enim categoriarum forma tan-
 tum contrarietatem servant: sic major quantitas contrariatur minori,
 caliditas frigiditati, locus superior inferiori. Deinde harum cate-
 goriarum termini mobili non sine insigni aliqua mutatione insunt.
 Proinde tantum in tribus hisce categoriis motus per se erit. In reliquis
 enim prædicamentis hæc conditiones deficere probat ipse Philosophus
 l. 5. phys. c. 2. §. 10. & pluribus ad eundem demonstratur ab Egidio
 Romano lect. 3. [Conimbric. a. 3. &] 5. in Alberto. cent. p. 65.
 Cursu phil. Acad. Franc. quæst. 3.*

Sed

Sed et obicitur. 1. Generationis terminus est in substantia; est enim τὸ δὲ 8. Phys. §. 62. imo ἡ οὐσία 1. de ort. & inter. §. 25. Sed Generatio est motus: tribuitur enim eidem tarditas & velocitas 7. phys. §. 34. Et verò hæc affectiones omnē insequuntur motum. 5. phys. §. 44. & quidem per se & primario omni motui injunt, uti rectè ad eundem locum annotatur in Alberto centonibus. Imo expressè assertit Philosophus c. 4. de motu in postpræd. & 3. Phys. §. 6. Generationem & corruptionem esse species motus. E. Motus quoque in aliis erit categoriis. Deinde, Quantitas non suscipit contrarietatem Arist. in categor. c. de quant. E. Motus non erit in quantitate.

Ad prius respondemus cum Aristotele 1. 5. phys. §. 9. negando 4. minorem. Generationem esse speciem motus. Ad probationem quod attinet: Generatio, sicut & corruptio dupliciter possunt accipi 1. simpliciter & absolutè, quando substantia generatur & destruitur, Et sic species motus non sunt. Distinguit tamen & hic Averroes 6. phys. §. 95 (quam distinctionem etiam habent Conimbric. 1. 3. phys. cap. 2, quæst. 1. art. 2. in resp. ad 3.) vel enim accipitur Generatio propriè pro ultima termini introductione, quæ fit ἐν τῷ ὄντι propter ejusdem termini indivisibilitatem (liceat nobis ita cum Scholasticis loqui, cum meliorem & elegantiores vocem non habeamus) 2. Non solum pro ultima termini introductione, sed dispositione quoque & preparatione precedente, sicq; pro toto illo aggregato sumitur, & sic non sit sine successione. Deinde vero accipi possunt latius pro omni cujuscunque rei etiam accidentis productione, & sic motus dici possunt.

Ad Aristotelis auctoritatem præterquam quod responsio ex modo dictis pateat: dicimus eum potius ex vulgari opinione, quam ex propria in locis illis hujus quæstionis alienis locutum fuisse. Deinde etiam quod habet Joan. Lindholtz in Brevil. nat. tract. 1. f. 19. & Albertus M. ad cap. 1. 5. Phys. acroam. & etiam vulgo ubiq; reperitur. Vocabulum Motus vel accipitur latè, prout se extendit ad omnem mutationem tam subitanæ quam successivæ. Atque in hac significatione Generatio & Corruptio a Philosopho motus species constituuntur. Deinde vero propriè pro sola mutatione successivâ, quæ fit de subiecto in subiectum, atq; sic Philosophus 5. phys. §. 9. id ipsum negat.

Ad posterius respondemus. Quod etiam uti habetur in Alberto centon. p. 65. Quantitas dupliciter considerari possit, 1. Logicè
vel

vel potius Mathematicè secundum essentiam suam, & sic ad quantita-
tem non est motus, sed ante omnem motum requiritur, quia nihil mo-
vetur priusquam sit quantum. Deinde Physicè prout est perfecta vel
imperfecta, & sic in ea est contrarietas & motus. Plura de hac qua-
stione vide præter supra dictos auctores apud Egid. Rom. lib. 5. phys.
lect. 3. & 4. Acad. Francof. l. 5. phys. quæst. 3. Georgium l. 5. phys.
tr. 1. quæst. 2. & de eadem quæst. apud eudem in fin. l. Thom.
Bricot. Ioan. Lintholz in Brevil. nat. ph. tr. 1. f. 19. Tataratum l.
5. phys. quæst. 1. conimbr. l. 5. phys. cap. 2. q. 1. Perer. l. 13. phys.
cap. 1. & alios.

QVÆSTIO VI.

An Motus distinguantur specie per ter-
minos, in quos feruntur?

I. *Fundamentum* + & totius huius controversiæcardo solum in eo
vertitur. An movetur realiter differat (sumitur hic pro forma fluente, seu
ut Pererius loquitur fiente) à suo termino ad quem. Vbi quamvis in ne-
gantem Aureolus & Paulus Venetus i verint partem: eo, quod illa
differant re quorum unum potest esse sine altero, imo quando unum ad-
est, alterum vero abest. Sed motus cum sit, nondum sit terminus ad
quem; & quando adest terminus ad quem motus non adsit. Verum
nos potius cum omnibus sanioribus philosophis magis in affirman-
tem inclinamus partem ob rationes has, I. Quodcumque dat alteri des
nominationem realiter ab eodem differre non potest. Atqui motus
 $\mu\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\nu\ \epsilon\iota\varsigma\ \delta\epsilon\ \eta\ \epsilon\gamma\ \epsilon\ \kappa\alpha\iota\ \delta\omicron\nu\mu\acute{\alpha}\zeta\epsilon\tau\alpha\iota$ s. phys. § 4. & 48. Vocatur enim
à calore calefactio, à frigore frige factio. Ergo. II. Si realiter differ-
rent, aut specie, aut numero differrensed neutro differunt. Ergo non
realiter. Prius. Ab uno siquidem eodemque principio, igne vide-
licet, provenit & calefactio & calor. Posterius. Nam numero differen-
tia numquam possunt esse in uno & eodem subjecto. Atqui tam calefa-
ctio aquæ quam calor per eandem productus subjective sunt in aqua
Ergo. III. Quacumq; non possum divisim considerare, non possunt
esse realiter distincta. Sed Motum & terminum ad quem non possum
divisim considerare; non enim calefactionem absque calore considero.
Si enim, dicis causa, ignem vellem considerare quidem ut calidum in-
terim non potentia calefactiva præditum, idem de eodem affirmarem
& negarem. IV. Imo quodcumque alteri largitur suum existere illud
ab eodem a deo non non distinguitur, ut nulla major connexio esse pos-
sit.

fit. Atqui Terminus ad quem largitur motui existere. E. Atque hinc
Philosophus 3. phys. §. 4. Motus non est prater res ad quas est motus.
Cum c. omnis potentia referatur ad actum, turpe ad pulchrum, tanquam
imperfectum ad suum perfectum 1. phys. §. 81. Et vero Motus se prio-
re ratione ad terminum, (qui posteriore) habeat; adeo quidem non erit
iste realiter ab hoc disjunctus, ut potius ab hoc ille omnes suas affectio-
nes desumat. Quodcunque enim dat formam, dat omnia ea quae conse-
quuntur eandem. Ab hoc ergo motus accipit unitatem genericam 1. 5. phys.
c. 4. §. 31. ab hoc unitatem specificam eod. l. §. 35. Ab hoc numericam §. 53.
Non interim excludimus reliqua quoque, quae ad eandem unitatem faciunt.
quae recenset Arist. eod. l. §. 34. ὁ κίνησις ὅμοιος καὶ ὁ ἴσος, quorum ratio in cursu
philos. Acad. Franc. l. 5. phys. q. 5. redditur haec: quia continuitas
motus est ejus unitas: ad continuitatem vero motus cum etiam tem-
pus requiratur, id ipsum quoque ad unitatem ejus requiretur. Deinde,
diversorum mobilium motus non possunt continuari: requiritur ergo
Unitas mobilis: & quidem haec simpliciter requiruntur, ut loquitur
Egidius Roman. in explicat. §. illius: verum ad totum complexum
motus uti habet Georgius ad eundem §. 34. ejusd. lib. Praecipuum v.
& ipsum essentiale constitutivum est unitas termini ad quem. Atque
hinc primarius ad hunc tantum habetur respectus, ut quando hic termi-
nus est unus, ipse quoque motus sit unus. uti probat Ioan. Lindholz
in Brevil. (sic enim inscribit) nat. phil. tr. 1. f. 17. Vera quoque ejus-
dem motus diversitas desumitur tantum ex diversis & contrariis ter-
minis, uti probatur in cursu Phil. Acad. Francof. lib. 5. phys. q. 6.

His & ita suppositis ad argumentum initio allatum responde- 2.
mus. Majorem non simpliciter veram esse, quod probatur exem-
plo materiae & privationis fundamenti & relationis & al: Minorem
vero simpliciter falsam esse dicimus: adest siquidem semper illa forma,
verum secundum magis & minus, quod in termino sit perfectissima,
in motu imperfectior. Quamvis ergo realis nulla possit dari Motus &
Termini ad quem disjunctio: Modalem tamen, seu intentionalem
omnino cum Alberto M. uti refertur in centon. ad 3. lib. phys. p. 33
Soario disputat. Metaph. 49. lect. 2. distinct. 5. Pererio lib. 13.
cap. ult. quae. 10. concedimus.

Plura & de hac questione qui nosse a vet. consulat Egidium Rom.
ad l. 5. phys. Arist. lect. 1. ad §. 4. & lect. 7. ejusd. l. §. 48. Alberto
cent. ad 3. phys. tr. 1. cap. 2. p. 33. Lambert. de Monte l. 3. phys. ad §. 4.
Geor-

Georgium Nomin. ad 3. phys. tr. 1. quæst. ult. & penult. & ad
lib. 5. tract. 3. quæst. 1. dub. 1. Cursum philos. Acad. Francof. lib. 5.
phys. quæst. 3. & 5. Joann. Lindholz in Breviloq. nat. Philos. tr. 1.
fol. 16. Conimbricenses lib. 5. phys. cap. 4. quæst. 1. Pererium
lib. 13. phys. cap. 9. quæst. 8. & 10. & c.

QUÆSTIO VII.

Quomodo sensibilia à sensu percipiuntur?

1. Sensibilia & secundum se presentia sensui cognoscuntur, puta
omnia colorata & omnia lucentia, quæ secundum se presentialiter ob-
jiciuntur visui, statim videntur, quia unum est visivum & aliud vi-
sibile, propter quod eis approximatis statim insequitur visio, à quocun-
que sit effectivè, ait Durandus in mag. sent. lib. 2. dist. 3. quæst. 6.
§. 21. De modo ergo, quo sensibilia à sensu percipiuntur, seu, quodnam
effectivè facultatem sensitivam movent, queritur?

2. Nos & cum Aristotele lib. 2. d. an. §. 121. & majorum gentium
philosophis dicimus, sensilium perceptionem fieri per qualitates spiritu-
ales seu intentionales (quas accipimus pro omni rei alterius, etiam ex-
tra mentem existentis imagine & representatione, sicque sunt simula-
cræ, species & imagines objectorum sensilium): hæc sensorio oblata effe-
ctivè facultatem movent, & sensui imprimuntur tanquam sigillum
cera.

3. Sed & hæc non ad gustum & salivam Platoniorum. Hi enim spe-
cies spirituales rotundè negant. Cuius sententiæ quidam participè faciunt
Occamum & Durandum. Eò quod inter species & objectum nulla sit
similitudo, cum naturâ differant: & etiam hac ratione præstantiores
essent ipsis objectis, cum incorporeum corporeo nobilius. Quomodo ergo
cognoscuntur à sensu? objectivè insunt sensui. Sed quæ hæc ἀλογία? sic
ἐνὸς ἀτόμου δεῖν & τὰ δὲ ἀσυνεχῆ. 1. Phys. §. 10. & 22. ἢ τὸ
μικρον παραβῆναι τῆς ἀληθείας ἐπισαμένους γίνεσθαι πόρρω μυσίω
τῷ λέσσιον οἶον. 1. de cælo. §. 33. Inter agens & patiens receptivum &
receptibile, ut sit similitudo quædam necessum est. Sed quæ similitudo
inter materialia & sensus? Unde verè eruditissimus Cælius Rhod.
antiq. lect. lib. 15. cap. 1. Certe objectum sensibile nimis materiam res-
pit.

pit, ac sensus spiritalis admodum est. Itaq, per se haud quaquam coire
queunt ad sentiendi actum perficiendum. Sed opus est medio quodam
velut spiritali, quod in vicem ista conciliet. Hoc quidem circa om-
nem sensum species quaedam est. Imo hinc sequeretur, unam rem esse plu-
res simul, & in pluribus subjectis, quando à pluribus una vice percipi-
tur, uti rectissime colligit Scaliger exerc. 298. sect. 14. Et quomodo
hac ratione res perciperetur per distantiam?

Manet † ergo, cum objecta sensilia secundum formalem suam ra- 4.
tionem sensum ingredi non possint, ingrediantur tantum qualitates istae
spiritalis. Quid multa? Hoc ipsum testatum facit ipsa experientia.
Tempore siquidem verno oculi & vestes in viretis & sub umbris arbo-
rum jacentium viridis apparent coloris. Quae causa? Non alia, quam
qualitas, qua aër διαφανής, cum omnibus possit pingi speciebus, Scal.
exerc. 80. sect. 8. à foliis arborum viridibus imbuatur. Intueris specu-
lum ante ipsum intueris? hanc concedes: sed imaginem tuam, quam re-
cepit speculum. Unde à Poeta docto, poemat. 39. edit. Horat. Tu-
scanell: imaginisum vocatur, sicut ibidem annotat An. Muretus: ali-
ter tamen Cælius lib. 17. cap. 3. Iridem aspicias. videtur tibi in pupilla
herere. Anne vere? Nugæ Scal. exerc. 80. l. 7. & 8. & alibi Et infini-
tis hoc ipsum ab experientia ductis exemplis probatum dari posse.

Instas. † Quomodo ergo producuntur species iste spiritalis? 5.
Forsan immediatè à Deo uti Sueffanus? vel ab intelligentiis cœlestibus,
ut Buccaferreus? vel à sensu agente, uti recentiores contendebant?
Haud asserimus: satis hac refutata à Zabarella lib. de sensu agente
cap. 3. & 4. & 6. Causam veram tibi aperunt Albertus M. Zabarell.
eodem lib. cap. 5. Scaliger exerc. 298. sect. 16. Qualitates sensiles
salem habent naturam, ut multiplicent in medio speciem suam spiritalē.
In cassum proinde laboras quarendo sensum agentem, vel aliud exter-
num agens, cum ad speciem producendam ipsa suapte natura sufficiant.

Ergo sensus † se tantum passivè habebit? Respondet ipse Aristo- 6.
teles lib. 2. de an. cap. 5. §. 51. & seqq. sensum virtutem esse passivam.
Et pro hac sententia duas rationes è textu educunt Acade. Franc.
cof. quæstion. 13. Thomas Bricot, tract. 2. in resol: 1. lib. ibidem
quoque Georgius & alii interpr. I. Illa potentia sive virtus,
quæ consistit in moveri & pati à suo subjecto, illa est passiva. Atqui o-
mnis sensus movetur & patitur à suo objecto. Ergo. II. Si sensus non
esset virtus passiva sed activa, tunc sequeretur, quod sensus semper sen-
tires

C

tiret, nullo extrinseco objecto movente Atqui hoc non fit. Ergo. Edu-
citur quoque tertia ex eodem loco Arist. in Alberto cent. tract. 3.
quaest. 3. Quicquid ducitur de potentia in actum illud patitur & est in
potentia passiva. Sed omnis sensus ducitur de potentia in actum. Ergo.
omnis sensus est virtus passiva. Atq; hinc Albertus M. in summ. nat.
lib. 5. Sensus in hoc conveniunt, quod omnes sint potentiae passivae
animae. Unde propter hoc objecta eorum dicuntur passibiles qualitates,
quia faciunt in sensu passionem.

Notabis tamen hic, quod habet Lindholzius ad illum locum Al-
berti p. 161. Sensus posse dupliciter considerari s. In quantum in se
recipiunt species sensibiles, ex quo proprietates materiae est recipere. Quae
quidem materia est pure passiva. Ideo illae potentiae receptivae specie-
rum sensibilibus dicuntur passivae. Et ideo talia objecta immutantia per
suas species sensus exteriores dicuntur passiones, seu passibiles qualita-
tes, eo quod ipsa inferunt passionem organo sensuum: non tamen eam
passionem quae est cum objectione contrarii, seu destructiva, sed sal-
vativam seu perfectivam (quam distinctionem etiam habet Acade.
Francof. lib. 2. d. an. quaest. 13. in. f.) quomodo etiam materia patitur a
forma, & intellectus a specie intelligibili: Deinde possunt considerari
sensus in quantum iudicant de speciebus in se receptis, & sic vocantur
potentiae activae, cum iudicare sit agere. Hanc eandem distinctionem
quoque suo calculo approbat Zabarell: lib. saepius ut dicit. cap. 9. &
10. dum dicit animam duplici munere fungi. 1. informare organum. 2.
organo informato uti ad operandum. Priore ratione patitur; organi e-
nim officium est speciem recipere & pati. facta autem receptione anima
utitur organo, dum speciem in se receptam iudicat. Et convenit cum
vulgata distinctione inter obiecti receptionem, & eiusdem dijudicati-
onem. ad sentire ergo non consistit in sola speciei impressione, sed & in
eiusdem dijudicatione. Id quod & ipsum innuit Aristoteles lib. 2.
de an. §. 140. quando actum visus & coloris a se invicem distinguit: al-
liud enim est coloris impressio, aliud eiusdem dijudicatio.

Tandem targes. si ergo concedenda species spirituales, locum ta-
men tantum habebunt in visione, cum non omnes sensus eas recipiant, &
abi isdem immutentur, sed a qualitatibus materialibus reliqui quatuor
exteriores patiantur & immutentur. Acute tibi respondet Thomas
de Aquino opusc. 43. cap. 3. Duplicem esse immutationem Natura-
lem

lem, & Spiritalem. Naturalem dicit, quando forma immutationis vel similitudo formæ recipitur à mutato secundum esse naturale. ut calor in calefacto Spiritalem, quando similitudo immutantis recipitur in immutato secundum esse spiritale, ut similitudo coloris in pupilla. Spiritalis immutatio essentialis est sensationi, & ad omnem requiritur. Naturalis non item. Concurrit vero interdum & Naturalis: vel ex parte objecti, ut in auditu & tactu, vel ex parte organi ut in tactu & gustu: Huius tamen respectu non dicitur fieri sensatio. Sed illius.

Ad objecta † Platoniorum respondemus. Ad prius. Licet hic non sit similitudo secundum essentiam & naturam, est tamen similitudo representationis seu, quæ est inter signum & signatum, quæ hic sufficit. Ad posterius. Nulla est consequentia: Signatum siquidem semper signo nobilius: procederet vero tunc consequentia, si qualitates istæ essent substantiæ spiritales & incorporeæ. quod absurdum.

QVÆSTIO VIII.

An misericordia & indignatio locum habeant in sapiente & viro bono?

Et † misericordiam & indignationem inter semivirtutes: sem. 1. affectiones virtuti similes refert Picolomineus gr. 4. phil. civil. cap. 31. Quas tamen una cum aliis omnibus eiusdem generis sub perturbationum nomine rejiciebant Stoici. Et quidem misericordiam in specie quod attinet: rejiciebatur hac penitus ab iisdem. uti videre est apud eundem Picolomin. grad. 1. civ. phil. cap. 29. & grad. 4. cap. 32. Et habet expresse Seneca. Vitium animi est misericordia, nec miserebitur sapiens, sed succurret. Quod & idem haut obscure probari posse videtur è Cicero, 3. Tuscul. quæst. p. 193. edit. Sturm. Non cadit in sapientem ægritudo. Misericordia vero est ægritudo ex miseria alterius injuria laborantis Cic. lib. 4. Tusc. quæst. p. 213. Quapropter non cadet in sapientem. Id quod & indicare videtur, idem Cicero lib. 3. Tusc. quæst. p. m. 194. Si sapiens in ægritudinem incidere posset, posset etiam in misericordiam, posset in invidentiam. Idem tamen alias in orat. pro Q. Ligario eam virtutem, & quidem omnibus Cæsaris virtutibus admirabiliorem indigitat. Id quod & de indignatione sentiunt.



2. Nos t̄ vero utramque in sapiente & viro bono locum habere arbitramur. Illam siquidem quod attinet, si è viro bono sustuleris, necessario tibi erit eidem tribuenda immisericordia, immanisuetudo, & crudelitas, cum inter has non detur tertium. Objicit Seneca: succurrendum est. Sed quomodo succurrendum, si infortunium alterius te non movet? Recte proinde Phocion: nec ex templo aram, neq̄, ex humana natura misericordiam tollendam esse dicebat Stob. serm. 1. de Virtute. Et Demosthenes. Iustum est misereri, non improborum hominum, sed eorum qui immeritò infelices sunt Stob. serm. 44. Nemo enim parricida aut proditoris supplicio misericordia commovetur. Cicerone lib. 4. Tusc. quæst. Hac vero cum juxta Scaliger. exerc. 313. fit commotio animi ex indignitate. Indignitas vero factum aut dictum contra rei vel personæ meritum. Iustum vero & æquum est bene merito benefacere. Si ergo, ubi contrarium accidit, vir bonus in idem consentiret, contra justum & æquum faceret.

Atque t̄ hac est νεμεσις Aristotelis, de qua plura Cælius Rhodig. antiq. lect. l. 11. cap. 19. Hinc etiam Arist. lib. 1. Magn. moral. νεμεστικὸν εἶναι ἐπὶ τῶν ἀνετῶν proclamat. Et Scalig. exerc. 313. dicit illā esse affectum optimi cuiusq̄. Distinguit etiam hōc Picol. grad. 4. c. 32. inter indignationem & misericordiam à natura, & inter eam quæ virtutem sequitur. Quam vide.

QVÆSTIO IX.

An pudor locum habeat in viro bono?

1. Respondet t̄ Aristotel. l. 4. Ethic. ad Nicom. cap. 15. negatiuè οὐκ ἐπιεικὲς ἐστὶν ἢ ἀιχύνει, εἴπερ γίγνεται ἐπὶ τοῖς φαύλοις, ὅν γὰρ ψρακτέον τὰ τοιαῦτα. Unde talem exstruit Syllogismum Donatus Acciacol. in comm. ad eund. l. Verecundia provenit ex improbia. At vir probus non committit improba. Ergo eidem non competit verecundia. Major. Definitur enim Pudor seu verecundia (idem enim sunt, ille tamen latius funditur, quippe etiam cum meremur ipsorum inferiorum reprehensionem: uti, habet Scal. exerc. 312. & exer. 315.) φόβος τῆς ἀδοξίας eodem cap. vel uti Scal. ex. 312. Magna opinio reprehensionis.

Sed

Sed † obicitur. I. Plato in Protago. omnibus hominibus Pu- 2.
dorem & verecundiam convenire asserit. 2. Contingunt interdum
quidam viro bono à propinquis & necessitudine iunctis, obque merito
pudore suffunditur. 3. Hac ratione ipse vir bonus, quando delinque-
ret, non erubesceret.

Ad primum † respondemus cum Picolomineo gr. 4. civ. 3.
phil. cap. 32. 1. Platonem hæc tantum proferre sub Persona Protagoræ
non vero Socratis, neq; ex propria sententia. Deinde convenit omnibus
hominibus, at non in omni ætate. In venibus enim competit & debet com-
petere, ut hab. t. Philosophus loco proxime dicto lib. 4. Eth. Nicom.
cap. ult. quia cum perturbationibus agitentur verecundia à delinquen-
do prohibentur. Non tamen inde sequitur, hanc quoque viro competere
bono 3. Verecundia nonnunquam usurpatur latè pro quavis formidi-
ne mali, cautione sceleris, & desiderio honesti, atque hac ratione viro
bono non simpliciter denegaretur. Ad alterum dicimus cum Aristotele,
Pudorem esse eorum, quæ sponte nostra agimus. Horum enim cogimur
reddere rationem, ob hæc sumus digni honore & vituperio, non ob alia,
Aegre quidem ferimus cognatorum delicta, at non propterea verecunda-
mur. Ad tertium itidem cum Aristotele. Virum bonum nunquam
turpe aliquid committere, ex quo erubescere debeat. Turpia enim de-
licta sponte committuntur, & fiunt, & circa ea quæ non fiunt sponte,
neque vitium neque verecundia ponenda videtur. uti habet Aristotel.
loc. f. d.

Conclusum † ergo esto. Si vir bonus verecundia tangeretur, præ- 4.
supponere t semper aliquid turpitudinis. Addimus tamen, si contingat,
ut quis male agat ex τῷ ποταμῷ (jam tamen viri boni nomen non am-
plius sibi vendicat) conducere & melius esse, si pudore verecundia & pœ-
nitentia tangatur, quam si & hoc omittatur, sic enim impudentis nomen
illi adaptatur.

QVÆSTIO X.


An in consiliario principis philosophiæ
cognitio requiratur?

Omnino. Horum enim potissima est habenda ratio in quibus sa-
lus rerump. & regionum consistit. Repetit Philosophus passim in




polit. *At harum salus in prudentia consistit.* Vnde ἡ φρόνησις ἀρ-
 χοντῶν ἰδίῃ ἀρετὴ λέγεται Arist. 3. pol. An non vero prudentia finis
 Philosophiæ? Hanc nemo absque cognitione philosophiæ assequi pote-
 rit. Nonne duo illa maxima, & ad quæ ii, quorum cura & labore
 resp. vel etiam ditio aut regio gubernatur, videlicet Iudicium veri,
 & finis bonorum in Philosophia sunt? Cicero l. 4. Acad. quæst. p.
 mihi. 8. Nonne lex (qua à Cælio Rhodig. antiq. lect. l. 18. cap. 19.
 juxta Platonem gubernandi ratio, & civitatis anima dicitur) suam
 originem unicè habet à Philosophia? Cic. l. 1. de leg. Hæc virtutis
 indagatrix, vitiorum expultrix, mater urbium, inventrix legum,
 magistra morum & discipline. Cic. l. 5. Tuscul. quæst. p. 224. Qua
 ratione ergo poterit reip. vel etiam regioni præsis, qui philosophi-
 carum rerum penitus est ignarus; imo qui non insignem earundem co-
 gnitionem habet? Atque hinc quoque ea expressè ab auctore lib. ad
 Herenn. in consiliario requiritur. A Philosophis enim imperatores,
 à Philosophis rerum publicarum rectores exstiterunt: neque quisquam
 unquam, aut in dicendo, aut in rebus gerendis excelluit, qui non prius
 in philosophorum officina politus & limatus fuisset. M. Antonius
 Muret. vol. 1. orat. 4. de phil. & eloq. con. Imo τότε τὸς ὑποκόως
 εὐέχεν, ὅτι βασιλεὺς φιλόσοφος, ἢ φιλοσοφεὶ βασιλεὺς. Plato
 l. 5. & 6. de rep. divine scribit. Hinc ergo An. Muretus vol. 1.
 orat. orat. 3. de lit. præst. Posteaquam plura disseruisset de utilitate,
 quæ à philosophia ad resp. redundet: concludit tandem. Philosophia
 monstrat, quo nihil pulchrius, nihil præclarius, nihil deniq; divinius,
 ne votis quidem conceptis operari potest, quibus moribus, institutis,
 legibus temperanda sint civitates: quibus ista modis fundari atque in-
 stitui: quibus augeri atq; amplificari: quibus denique copiosissimæ,
 locupletissimæ, uno verbo beatissimæ effici possunt. Requiritur ergo
 in consiliario, vel alio ad quem reip. vel etiam ditiois alicujus cla-
 ves pertinent philosophiæ cognitio, & quidem utriusq; partem
 Theoreticæ & Practicæ. Magis tamen bujus, quam
 illius. Vnde & hanc illi necessariam dica-
 mus; illam vero utilem.

Finis disputationis quarta.







3d

DISPUTATIO IV.
Centuriæ tertix

**QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM
PHILOSOPHI-
CARVM**

*In Inclytâ VVittebergensi Academiâ
Proposita:*

PRAESIDE
M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.

RESPONDENTE
IOANNE STRAVCHIO
VVitebergensi.

*Ad 6. Id. Octobr. hor. à 6. matutinis in Auditorio Col-
legii veteris.*

VVITTEBERGAE
Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellvvigii Bibliop. Anno 1607.

